

am, quam habent, gratiam & dignitatem mutuari videntur. Reliquæ verò artes omnes nihil per se expectandum, sed omnia externi cuiusdam finis gratia efficiunt; imò omnes reliquæ, quæ ad vitam victumque paratæ sunt artes medicinæ ministræ & pedissequæ sunt. Nam quod aramus, quod ædificamus: ea omnia ad vitæ finem diriguntur; cuius magister est medicus, ut J. C. Scaliger scribit, de re pœt. lib. 3. c. 16.

Subiecti
Medici-
na.

Subiectum tandem Medicinæ corpus humanum, quatenus sanitati & morbis obnoxium, seu quatenus sanabile est, constituimus. Nam licet interdum Medicinæ agriculturæ quoque, & pecudum cura tribuatur: tamen hic non veterinariam aut Mulomedicinam describere, sed quæ ratione animalis omnium præstantissimi ac nobilissimi hominis sanitas præsens conservari, ac amissa restitui possit, docere nobis propositum est.

Est autem hoc subiectum non solum aliarum artium omnium subiectis nobilius, sed hoc etiam præ subiectis reliquarum artium peculiare habet: quod reliquarum artium subiecta nihil agunt, sed obsequium saltem agenti artifici præstant: Medicinæ verò subiectum innatam quandam potentiam obinet, qua à medico adiutum sponte plerumque ad sanitatem tendit. Unde etiam ab Hippocrate, 6. epid. comm. 1. c. 1. ὄργανον φύσεως, in tegebì, Naturæ motorum medicatrices dicuntur: & me-

dicus naturæ minister appellatur: quod scilicet non semper ita simpliciter sanitatem parere, sed potius parturienti naturæ opem ferre videatur. Natura enim & medicus, ut Galenus, de constitut. art. c. 12. alius 13. scribit, eorum, quæ corpori boni causa sunt, autores sunt. Sunt tamen alia Naturæ, alia medicis negata & concessa. Naturæ quidem impossibile est, ita os confractum, ut ejus partes à nativa sede aberrēt, membrumque distortum sit, corrigere, & conformare; quod Medicis possibile est. Quemadmodum & luxatum medicus reponere potest: Natura non potest. Contra carum ulcus carne replere Natura potest; medicus non potest: sicut ex semicoctis aut crudis aliquid concoquere. Sed in his medicus naturæ famulatur.

Hæc ob causas, hanc scilicet subiecti Medicinæ peculiarem dotem, ejusdemque nobilitatem, non saltem superficialia, quæ in plerisque aliis artibus sufficit, sed accuratior ejus cognitio requiritur. Neg, enim, ut Galenus, 1. aph. 1. habet, lateres, lutum, ligna, lapides, tegulæ, coria, artis medicæ, sicut aliarum sunt materia, in quibus multis modis, circa cujusquam offensam, licet quid possit, experiri: in corpore autem humano ea tentare, quæ non sunt experientia comprobata, periculo non vacat; cum temeraria experientia finis sit totius animalis internecio. Et quidem ob hanc subiecti nobilitatem tam accurata ejus cognitione opus est, ut etiam omnium principiorum, è quibus suas conclusiones exstruit medicus, exactior, quam in ulla alia arte requiritur cognitio:.

Subiecti
Medici-
nae accu-
rate co-
gnoscen-
dum.